



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Exponuntur quædam Scripturæ & sanctorum Patrum testimonia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

DE PROVIDENTIA DEI.

515

§. I.

*Exponuntur quedam, Scriptura & Sanctorum
Patrum testimonia.*

133. **O**bijcunt in primis Adversarij. Prædeterminationes illæ quas in Deo admittimus, non videntur coherere cum illo Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata iuxta & precepta, &c. Quomodo enim (inquit Iesus) reliquit eum in manu consilij sui, si ipse suo consilio, & decreto efficaci & absoluto, quid velit ab eo fieri, ante prævisionem sui consensus, ab æternæ prædefinitione? Si dominus prædefiniret hoc modo omnes actiones quas vellet fieri à famulo singulis diebus, & summâ curâ ipsum eas exequi curaret: diceretur ne relinquere famulum in manu consilij sui, ut ipse suo consilio & arbitrio statueret quid facientem sit?

134. Respondeo hominem non ita dici relictum in manu consilij sui, ut à prædefinitione Dei, qui (ut dicit Apostolus) Operatur omnia secundum consilium voluntatis sua, aut ab ordine divinae providentiae sit exemplus. Hanc enim libertatem Ciceron conabatur statuere, qui ut ait Augustinus, *Dum homines voluit facere liberos, fecerunt sacrilegos &c.* Sed quia (ut inquit S. Thomas hic art. 2. ad 4.) Non presigitur ei virius operativa, determinata ad unum, sicut rebus naturalibus que aguntur tantum quasi ab altero directa in finem: ille enim per consilium & deliberationem rationis se determinat ad volendum vel non volendum, ad operandum vel non operandum. Porro quia omne consilium, & providentia hominis, continetur sub consilio & providentia Dei, sicut causa particularis sub universalis; & homo, ut supra ostendimus, non est primum liberum, nec primum eligens, sicut nec primum movens, nec prima causa suorum actuum liberorum: quidquid boni eligit, & per suum consilium deliberat, ac decernit, in Deum tanquam in primum liberum, primum eligens, & primum determinans, ac proinde ut præelicens, prædefiniens, & prædeterminans, reducendum est. **D** Unde egregie D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. *Homo est Dominus suorum actuum volendi & non volendi, propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem vel ad aliam: sed quod deliberet, vel non deliberet, et si bujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem præcedentem; & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum hominis arbitrium moveatur ab aliquo exteriori principio quod est supra mentem humanam, scilicet Deo.* Vnde mens hominis, etiam sani, non ita habet dominum sui actus, quin indigat moveri à Deo, &c.

In forma igitur ad argumentum respondeo, distinguendo Antecedens: Deus reliquit hominem in manu consilij sui, tanquam primi consiliantis & deliberantis, nego. Antecedens. Tanquam secundi consiliantis & deliberantis, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Solutio est S. Thomæ locis relatis, & 2. 2. quæst. 104. art. 1. ad 1. de verit. quæst. 5. art. 5. ad 4. de potentia quæst. 4. art. 7. ad 12. & 3. contra Gent. cap. 90. ubi ait: quod *Hæc verba Ecclesiastici ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrii ostendatur, non vero, ut eorum electiones à divina providentia subirahantur.*

Tom. I.

A Ad exemplum vero de famulo, adductum à Iesso, facile responderetur, negando paritatem. Ratio discriminis patet ex dictis, famulus enim non subordinatur domino/particulari, tanquam primo libero, & primo principio suarum operationum, sed solum tanquam causa particulari, per præceptum, suasionem, aut consilium moraliter illum mouenti. Unde libertas qua est in actionibus illius, non procedit, nec emanat à libertate ipsius domini, nec ab ipsa dependet, sicut effectus a sua causa. At vero voluntas humana in suis operationibus essentialiter subordinatur Deo tanquam primo libero, & primo totius libertatis creatæ & participata principio, ac proinde ex tali subordinatione & dependentia, non impeditur, sed potius causatur exercitium humanæ libertatis. Sicut ex influenza causa universalis, v.g. cœli aut Solis, non impeditur, sed potius juvatur & causatur generatio plantæ, ut alibi fusè exposuimus.

Objicimus secundò Adversarij quedam SS. Patrum testimonia, que illis videntur favere. Nam Damascenus lib. 2. Fidei cap. 30. sic habet: *Omnia quidem præcognoscit Deus, non autem omnia predeterminat.* Et Chrysostomus homil. 12. in Epist. ad Hebreos aut quod *Deus non antecedit voluntates nostras, ne nostrum ledatur arbitrii.* Item August. 1. de civit. cap. 9. hæc scribit: *Sicut Deus omnium naturarum Creator est, ita & omnium potestatum dator, non volunatum.* Et de spiritu & littera cap. 31. *Legimus (inquit) non est potest nisi à Deo, nusquam autem legimus, non est voluntas nisi à Deo;* & recte non scriptum est, quia verum non est. Denique lib. 3. de libero arbitrio capi. 18. sic habet: *Ista brevissimè tene: quacumque causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Sed illa prædefinitione quam nos ponimus, est ita efficax, ut ei resisti non possit; Ergo sine peccato, & per consequens sine libertate, ei ceditur. Alia SS. Patrum testimonia adducit Ruiz tomo de Scientia Dei; sed ista videntur præcipua, & ex eorum responsione, ad alia paterbit solutio.

Ad locum ergo Damasceni, respondeo cum D. Thoma qu. sequenti art. 1. ad 1. & 3. contra Gent. cap. 90. quod Damascenus his verbis solum intendit excludere prædereterminationem imponentem necessitatem, ut est in rebus naturalibus; non autem prædeterminationem cum libertate compositam, qualem in causis liberis admittimus.

Ad Chrysostomum respondeat Vazquez 1. p. disp. 91. cap. 8. num. 44. illum fuisse Semipelagianum, sic enim habet: *Sententiam Massiliensem (intelligit Semipelagianos,) tradunt multi Patres Gratiæ inter quos precipue fuit Chrysostomus, qui & Cassiani Magister fuit.* Sed ab hoc errore, seu potius calumnia, recte Chrysostomum vindicat Sixtus Senensis lib. 5. bibliot. annot. 101. ubi ait, Ioannem Oecolampadium, Lutheranæ heresis professorem, hunc errorum primò ei imposuisse. De quo iterum dicimus in Tract. de prædefinitione, ubi magnum Chrysostomum à Semipelagianorum errore vindicamus, ipsumque gratiam voluntates prævenientes, disertè docuisse ostendemus. Unde cùm S. ille Doctor homil. 12. in Epist. ad Hebreos, negat Deum nostras prævenire seu antecedere voluntates, solum intendit, ipsum non antecedere voluntates nostras, præventione fatali & violentâ, & liberum arbitrij nostri consen-

Disp. 2.
art. 3.
9. 6.

Ttt ij

sum, & cooperationem impidente, ac tollente potentiam ad oppositum, ut Manichæi quos impugnat, olim docebant. Non vult tamen excludere antecedentiam & efficaciam adjuvantem, quæ non tollat potentiam ad oppositum, sed nostrum faciat liberè operari arbitrium, quem D. Augustini, & S. Thomæ Discipuli docent.

137. Addunt aliqui cum Jansenio in concordia, & Lippomano in præfatione ad catenam, Græcos Patres, præsertim Chrysostomum, caute admotum legi debere circa materiam de gratia (non quod fuerint Pelagiani, ut Vazquez existimat) sed quia cùm nondum esset exortus Pelagius, neque hæc controversia discussa, & aliunde Manichæi negantes liberum arbitrium, ipsis negotium facescerent; in laudem liberi arbitrij multa dixerunt, qua piè explicanda sunt. Unde Augustinus de prædicto. Sanctorum cap. 14. *Quid igitur opus est ut eorum scrutetur opuscula, qui prinsquam ista heres oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficulti ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si responderet talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis. & transunter attingerent: immorarentur verò in eis quæ adversus alios inimicos Ecclesia disputabant.*

138. Ad primum verò Augustini testimonium, responderetur S. Doctorem ibidem loqui de voluntate humana, quatenus mala est, ac devians à regulis morum; sub qua ratione non est à Deo, sicut omnis potestas, quæ cùm ex se bona sit, ab illo est. Et ita clare seipsum explicat ibidem, subdens: *Mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt quæ ab ipso est. Et suprà cap. 5. Deus non est author omnium voluntatum, nam non est dator mala voluntatis. Eodem modo intelligendum est aliud testimonium desumptum ex libro de spiritu & littera, loquitur enim etiam ibi de mala voluntate, ut patet ex verbis istis quæ subiungit: Alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas jam sola peccatum est.*

Ad alium locum ex libro tertio de libero arbitrio, responderetur quod quæcumque causa est voluntatis, si non possit ei resisti, nec potentia antecedente, nec consequente, sine peccato ei ceditur. Secùs autem, si ei possit resisti, potentia antecedente, seu in sensu diviso. Quo pacto possumus resistere, seu dissentire divino decreto, & motioni ejus, ut docent Thomistæ cum Sancto Præceptore quæst. 23. de verit. art. 5. ad 3. ubi hæc scribit. *Quamvis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiens effectum, simul stat cum divina voluntate. Non enim ista sunt incompatibilia: Deus vult istum salvare, & iste potest damnari: sed ista sunt incompatibilia. Deus vult istum salvare, & iste damnatur. Quòd nihil clarius & expressius in favorem nostra sententia dicci potest.*

Addo quod, D. Augustinus ibi apertissime loquitur de causa violenta, & cogente: sic enim incipit illud capitulum 18. *An fortè violentia causa est voluntatis, & cogit invicim? Divinum autem decretum, quamvis efficacissimum, nullam coactionem aut violentiam infert, sed fortiter & suaviter movet, & ita agit nos, ut agamus, & liberè, ac voluntariè consentiamus;* &

A ut inquit ipsemet Augustinus, *In ipsis hominum cordibus operatur, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

§. II.

Exponitur celebre testimonium D. Thomæ.

O Bjiciunt tertio quidam Recentiores testimoniū D. Thomæ, quod vocant irrefragabile & insolubile, eoque putant S. Doctorem, aper- tè & direc- tè, decretum prædeterminans, & physi- cam prædeterminationem excludere, & velut jugula. Sumit hoc testimonium ex 2. libro sententiæ dicit. 39. quæst. 1. art. 1. in corpore, ubi de nostra voluntate sic disserit. *Ipsa autem potentia voluntatis, quanum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinat exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinans, sed ab ipsa voluntate. Quid aperiuit (inquit Petrus à S. Joseph) dici potuerit ad excludendam prædeterminationem physicam, non video. Nam S. Doct̄r̄, conceptis verbis docet, voluntatem nostram se determinare ad volendum hoc vel illum, & pariter negat eam ad hoc ab alio determinari. At quo ille iudicio hoc posterius negaret, si nihilominus existimat voluntatem non posse in aliquem actum erumpere, nisi prius à Deo determinatam. Hoc sane perinde esset, ac si duo contradictoria simul vera esse profiteretur.*

Huic testimonio quod Recentiores illi adeo magnificant, & extollunt, multipliciter respon- deri potest. In primis dico, in textu D. Thomæ non legi, *Non est ab alio DETERMINANTE* (sicut scribit, & refert Petrus à S. Joseph) sed non *est ab alio DETERMINATE*. Quæ duo valde diversa sunt, ut consideranti patebit. Primum enim quamcumque determinationem extrinsecam à voluntate decreta excludit. Secundum verò solùm significat, illam non determinari ad unum per modum naturæ, sicut agentia naturalia; sed ad unum per modum libertatis (id est sub indifferentia objectiva iudicij, & retinendo potentiad ad oppositum) ut ejus conditio, & natu- ra exposcit.

Respondeo secundo, D. Thomam ibi aper- tè loqui de determinatione voluntatis ad malum, quæ non est ab alio, sed à sola voluntate, quæ cùm sit primum deficiens, & primum se determinans ad malum, non potest à quocumque alio, ad illud determinari. Et quod iste sit verus & legitimus sensus D. Thomæ, patet ex titulo illius articuli, in quo querit: *Virum in voluntate possit esse peccatum?* & concludit affirmativè, probatque ex discrimine quod reperitur inter voluntatem creatam & agentia naturalia. *Quid enim* (inquit) *voluntas determinata exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinata, sed ab ipsa voluntate: Sed in naturalibus actus progradientur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum de- terminatum est.* Unde concludit: *Quid si aliquis defectus sit in actu voluntatis, ipsi in culpam & peccatum imputatur; & ita relinquitur quod in voluntate patet esse peccatum, quanum ad actum ejus. Loquitur ergo S. Doct̄r̄ de deter- minatione voluntatis ad malum, & ad pecca- tum, quæ non est ab alio determinata, vel deter- minante, sed à sola voluntate creata, quæ est pri- mum liberum deficiens, & primum ad malum se*